

Efficientem: Vires humanas. 2. Formalem: Meritorum valorem. 3. Materialem, Bona opera.

26. 1. Obstrepit Iohannes à Daventria; Agrippa istam non Romanensium doctrinam, sed Pelagianorum heresi obeliscum figere 2. Pernegant reliqui Doctores Pontificij, hanc suarum Ecclesiarum doctrinam esse. 3. Asserunt alij, se non proprium sed alienum constituere, in, à quo, ex quo, in quo, nostra fiat justificatio: nempe Spiritum Sanctum: vel, ut Scholastici locuti, Gratiam Dei.

Tria exceptionis Pontificiæ capita.

27. Verùm obiectionis hujus vanitas multis modis patet. I. Esto: Agrippam Pelagianis fuisse oppositam: Quid tum? igitur culpa vacabunt Pontificij? Nihil certè minus: Quis enim Controversiarum Theologicarum adeò est ignarus, qui non vel manibus palpet, plurima & quidem precipua Pelagianæ hereseos capita, Pontificios & jam olim sibi fecisse propria: & adhuc hodiè, pro ijs, tanquàm pro aris & focis dimicare?

28. Quid enim? An non Pelagianum est, quod Andradus, Hispanus, Ethnicis notitiam illam Dei, quam ex lege naturæ hauserunt, citra gratiam Christi, ad salutem satis fuisse, aperte scribit?

Andrad.
Expl.
Orth. lib.
3. p. 288.
& 292.

29. An non Pelagianum est, quod idem Andradus, Israelitas posteros, ex lege Moysis sine Christo salvatos contendit? Quem in modum πελαγιστῆς et etiam Isengrinus super Evangelium Septuagesimæ,

Y 4

AN